

tationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco: &, quia mihi vehementer hæc videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque præbeo. Etenim quæro, si quis paterfamilias, liberis suis a seruo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servis non quam acerbissimum sumserit; utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus & crudelissimus esse videatur? mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem, cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscujusque nostrum domos, & hoc universum reipublicæ domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent; si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur: sin remissiores esse voluerimus, summæ nobis crudelitatis in patriæ, civiumque perniciæ fama subeunda est. Nisi vero cuipiam L. Cæsar, vir fortissimus & amantissimus reipublicæ, crudelior nudius-